

ANTQUITATUM

S I V E

ORIGINUM

ECCLESIASTICARUM

S U M M A

A

LUCIO PALEOTIMO

E X

PROBATISSIMIS SCRIPTORIBUS

D E S U M P T A.



VENETIIS,
MDCCLXXIX.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA,
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.





STEPHANI SCIUGLIAGA

IN GARMOGLIESI

PRÆFATIO.



PURIMUM rei Christianæ interesset, ut quicumque Ecclesie regimen capeissent, aut Ecclesiasticum aliquod munus suscipiunt, tanquam lege lata cautum sibi esse putarent, primævam Antiquitatem colere; & ad ea, quæ ex historica Originum Ecclesiasticarum serie conquisita, Religionis Christianæ puritatem conservant inviolatam, quæ Hæreticorum ac Schismaticorum errores auspiciatius oppugnant, quæ Sanctæ Ecclesie consentientibus judiciis, & Catholicæ praxi, vel præsidio sunt, vel ornamento, animis studioque incumbere. Tametsi vero, post Sacras Scripturas, ex primævæ Ecclesie Patrum scriptis, præclara pietatis exempla, Doctrinæ ac Traditionis Apostolicæ testimonia, Disciplina Ecclesiasticæ monumenta, Hierarchiæ jura, cæteraque ejusmodi haberi, & percipi possint; uberrimamque Antiquitatum Ecclesiasticarum messem, tum rerum gestarum Testes illi idonei, tum Doctrinæ Catholicæ fidi custodes, plenis incorruptisque manibus suppeditent; tamen, cum & numero & mole Patrum Scripta ejusmodi sint, quæ vix ab homine diuturnæ ætatis perlegi

NOI RIFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

COncediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampator di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato, *Antiquitatum, sive Originum Ecclesiasticarum Summa a Lucio Paleotimo ex probatissimis Scriptoribus desumpta &c. ristampa*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 22. Aprile 1788.

(*Girolamo Ascanio Giustinian Kav. Rif.*

(*Zuane Vallarezzo Rif.*

(*Francesco Pesaro Kav. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 254. al Num. 2380.

Marcantonio Sanfermo Segr.

ORIGINUM ECCLESIASTICARUM. LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De variis CHRISTIANORUM appellationibus, ac de iis personis, quibus ab HEBRÆIS, INFIDELIBUS, & HÆRETICIS in contumtum denominati fuerunt.

NYEQVAM primitivi *Christiani* hoc nuncuparentur nomine, Discipuli, Fideles, Electi, Sancti, & Fratres inter se appellabantur. In *Aegypto*, dum *Marcus* Evangelium *Alexandria* predicabat, *Jessæ* dicti fuerunt (Epiphani. Hæc. 39.) a *Jesse* *Davidis* patre, sive probabilius a Domini nostri *Jesus* nomine. *Eusebius* inquit (lib. 2. cap. 17.) ipsos quoque vocatos fuisse *Therapeutas*, veros; scilicet; Dei cultores, vel spirituales medicos; quod a *Hieronymo* (de Script. cap. 21.) confirmatur. Sed postrema hæc duo nomina cito obsoleverunt; prima vero apud Ecclesiasticos Scriptores passim reperiantur, omnibus quidem *Christianis* communis, qui per Baptismum *Ecclesie Communionem* ingressi sunt. Hinc, quam *Christianorum* vita ex Baptismali aqua initium duceret, quippe qui in *Christi* Religionem (Tertull. de Bapt. cap. 1.) aqua regenerati essent, atque in ipsa, ut salvi fierent, permanere deberent, symbolicum *Pisciculorum* nomen *Christiani* sibi adjunxerunt; eoque libentius, quod Græco vocabulo *ἰχθυῖς*, *Pisces*, omnes, quæ ad *Salvatoris nostri* nomen & ritulos pertinent, initiales litteræ continerentur; Ἰησοῦ Χριστοῦ, Ἐκκλησίας, Ἐυαγγελίου; *Jesus Christus, Dei Filius, Salvator.*

Primum *Gnostici*, Intelligentes, nempe, & sapientes. (Clem. Alex. Strom. 1.) appellabantur; *Christiana* enim Religio verissima erat sapientia. Ex eo autem, quod Hæretici quidam, Scientiam & doctrinam falso affectantes, hoc eodem nomine abuterentur, distinctionis gratia, voce *Christiani* addita, *Christiani Gnostici* vocati sunt.

Apud veteres Scriptores sæpe *Theophori*, Dei Tempora; & aliquando *Christophori* dicuntur. *Ambrosius* (de Obitu, Valentini.) *Christos*

eos vocat, ea quidem vocabuli significatione, qua Scriptura interdum quempiam designat, qui oleo unctus sit, vel cui a Deo per unctionem spirituales munus aliquod deferatur; Quo sensu *Christianus* quisque *Unctus Domini* est. Verum hujusmodi appellationem petraro sibi sumplerunt.

Notata dignum præcipue, *Christianos* in cunctis, quæ sibi addicebant, nominibus, ad *Christum* & *Deum* peculiariter respexisse, atque ab omnibus illis appellationibus, quæ res humanas aut factionem saperent, abhorruisse. adeo ut *Epiphanius* (Hæc. 42. Marcionit. & Hæc. 10.) diceret, *Non est Ecclesia nomine Apostolorum nuncupata: Nec unquam Petros ultos, aut Paulianos, aut Bartholomæos, aut Thaddæos audivimus - sed Christianos tantum, a Christo.* Factionis enim nomina Sectis tantummodo & Hæresibus convenire probe sciebant. Hinc *Christi* Ecclesia *Christiana* nomen, utpote quod ejus unitatem & respectum ad *Christum* perfecte exprimeret, semper retinuit.

Sed quum Hæreticorum numerus in dies auferet, ipsique se communi *Christianorum* nomine falcirent, nomini suo *Christiani* aliud, (Pacian. Epist. 1. ad Sempronian.) quo se ab omnibus Sectis & Hæresibus distinguerentur, addiderunt. Ad hoc itaque vox *Catholicæ* delecta fuit (Optat. 1. 2. p. 46.) eo quod *Christi* Ecclesia toto orbe diffunderetur, quæ sine appellatio Hæreticis, quorum Religio ad peculiarem quandam regionem, sive hominum factionem tantummodo spectabat, nequaquam convenire poterat. Atque hoc sensu hæc appellatio antiqua fere est perinde ac ipsa Ecclesia, tantique habita fuit, ut *Christiani* neminem *Christianum* appellare vellem, quin se esse ab *Ecclesia Catholica* profiteretur. Quod ad hujus nominis antiquitatem attinet, vide *Euseb.* lib. 4. c. 15. *Clem. Alex. Strom.* lib. 7. *Ignat. Epist. ad Smyrn.* num. 8.

Quamvis *Ecclesiasticorum* nomen Clero proprium esset, nihilominus cunctis interdum *Christianis* in universum tribuebatur; sed duntaxat